# RECITATIO SOLEMNIS AD TRIA IURIS PRAECEPTA. HONESTÉ...

Gerolamo Crivelli

Digitized by Google

BIBLI… NAZIONALE VITT. EMANUELE
13
7 A
27

249

Digitized by Google

13-7-A-27 1

C. 89. 6.

Digitized by Google

Digitized by Google

# RECITATIO SOLEMNIS

## AD TRIA IVRIS PRÆCEPTA.

Honeſté Viuere, Alterum non Lædere, Suum cuique Tribuere.

*In Publico Vniuerſitatis Legum Auditorio Auenionis, Et in Studiorum Renouatione Habita Anno 1653.*

*Per HIERONYMVM CRIVELLI. J. V. D. Aggregatum, & Profeſſorem Publicum.*

*AVENIONE,*
Ex Typographia IACOBI BRAMEREAV, Sanctiſſimi Domini noſtri, Vrbis & Vniuerſitatis Typographi. 1654.
*Ex Superiorum permiſſu.*

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

Digitized by Google

ILLVSTRISSIMO, ET REVERENDISSIMO DOMINO

# D. DOMINICO DE MARINIS

Arhiepiſcopo, Prolegato, & Gubernatori Generali In Ciuitate, & Legatione Auenionenſi Armorúmque Sãctiſſimi D.N. Papæ INNOCENTII X. In Eadem Ciuitate, & Statu Superintendenti Generali.

*HIERONYMVS CRIVELLI S.D.V.*

*NEMINI Meliùs debetur, & Maiori Jure offertur Oratio de Juſtitia, quàm Tibi* ( Archipræſul, & Prolegate Illuſtriſſime & Reuerendiſſime ) *Qui non Tantùm*

*Imperio Iura das Populis, ſed Moribus etiam Iuſtitiam Doces, Scribendo & Loquendo de Juſtitia, In Te Exemplar propoſitum habui, Aberrauī ab Exemplari, Si veram Juſtitiæ Imaginem non efformaui, Quanquam facilé mihi condonandum; Quis enim tantum poßit aſſequi Exemplar, & mortuo Calamo viuas, Spirantesque Virtutes exprimere; Videant Omnes In Te, & mirentur quod Impar repræſentat Oratio, Nequè pudet eam Minorem fateri Tuis Virtutibus; Honeſté tantúm viuere Ius Imperatorium docet, Tu ſuperaddis Honeſté etiam, & Sanćté viuere; Alterum non lædere tibi non ſufficit; Omnibus Benefacis, Niſi forté Gratiarum cumulo Amicé lædas Omnes, Dum non modo nullus poteſt*

*rependere Principi Accepta Munera, Sed neque debitas referre Grates, Suum Cuique Tribuere, Tibi Gloriæ non vertitur; Qui Tua tám liberaliter diſpenſas, Neque exigis* ( Princeps ) *Tributum à Populis, Sed Pauperes ditando, pendis Tributum Virtutibus & Deo; Meliús Igitur Tuis Moribus, quám Noſtris Legibus diſcimus Iuſtitiam, Et Dum tenue hocce Opus Tibi Conſecro, & Obſequentiſſimum Animum teſtor, De Iuſtitia non tantúm Scribo, Sed Tuum pro viribus Tibi Tribuendo, Ius Ipſum Exequor.*



Digitized by Google

Digitized by Google

# RECITATIO SOLEMNIS

## Ad Tria Iuris Præcepta.

*Honeſté Viuere, Alterum non Lædere, Suum Cuique Tribuere.*

QVOTQVOT Nominibus extollendus Imperator Dictu difficile, Imó Nullius ſonoræ Linguæ fertilitate, Sed ſola Animi in Meditationis ſilentio extentione, potiús quám Voce, & multiplicatis Acclamationibus extollendus, Dum poſt eruditiſſimam Iuſtitiæ, & Iuriſprudentiæ definitionem, Tria Iuris Præcepta



Digitized by Google

aggreditur; Quibus tota Vita noſtra Ciuilis quandiu in humanis pugnamus regitur, protegitur, & tandem ad Æthera ducimur.

Tribus enim Ius noſtrum Imperatorium Regitur Principijs, ſeu Præceptis, Honeſté viuere, Alterum non Lædere, Suum cuique Tribuere. Ait Imperator.

Honeſté viuere, Hínc Sacris regimur Moribus, Hínc Virtus Virtute ducitur, Hínc Virtus Virtute regitur,

Alterum non Lædere, Hínc Mores Moribus Temperantur,

Suum Cuique Tribuere, Hínc Virtus Virtute Superatur.

His ſané Tribus Iuris Præceptis, Veriús Virtutibus Moralibus, Honeſté viuere, Alterum non Læ-

dere,

dere, ſuum cuique Tribuere, Nedum Vitia deprauato Debilitatæ Naturæ lapſu, & Impetu contracta, & multiplici Viperino Habitu confirmata retunduntur, Verum etiam Ciuilis ſocietas Intacta conſeruatur, & quaſi per Vehiculum trahimur, ſeu per vberrimum Riuulum ad veram Salubris fontis, & Cæleſtis & Æternæ Voluptatis ſcaturiginem glorioſé ducimur.

Honeſté viuere Modeſtia ſociatur, Alterum non Lædere Temperantia nititur, Suum Cuique tribuere Iuſtitia conciliatur; Honeſté viuere Primatum tenet; Dum Modeſtia Tanquam ex Principijs, ſeu Præceptis Naturalibus extructa ad Nos tantúm

ſpectat.

Vnde cum Honeſtas ſit Naturalis, dicitur Diuina, Cum omnia Iura Naturalia ſint Diuina, tanquám ex Deo Naturæ Authoré orta, *ex vulgatiſsimo* §. *Sed Naturalia. Inſtitut. De Iur. nat. gent. & ciu. & c. Omnes Leges. & Gloſ. in c. Jus Naturale. Diſt.* 1. Vbi Omne Ius Diuinum dicitur Naturale, Et é contra, Sequitur quod Honeſtas vti Iure Naturæ orta ad nos tantúm ſpectet, Et ideó Primatum tenet.

Vt Honeſté ergo viuamus Iuxta hoc Primum Imperatoris Præceptum, Primó Honeſtas eſt præſtanda Eccleſiæ Tám à Prælatis, & Alijs in Dignitate conſtitutis, Quám ab Alijs Omnibus Eccle-

ſiæ Inſeruientibus, Adeó vt Non Suum, Sed Eccleſiæ debeant appetere Honorem. *c. Nullus. c. Ecce. Diſt.* 99.

Secundó Honeſtas per Filios eſt præſtanda Patri, cui Viuo & Mortuo Obedientia, & Reuerentia debetur. *L. Apud Celſum. §. Aduerſus. in Verb. Reuerentia. ff de Dol. mal. & met. except. & L. 2. ff. de Iuſt. & Iur.* Et licet Patria Poteſtas vti Moribus Naturalibus Introducta, id eſt Iure Naturæ, vt volunt DD. Hodié dicatur de Iure Ciuili. *L. Patre furioſo. ff. De his qui ſunt ſu. vel alie. Iur.* Attamen Honeſtas, Reuerentia, & Obedientia Patri Debita ſunt de Iure Narurali, Et ideó de Iure Diuino, Et Inde Honeſta dicitur



Digitized by Google

Naturaliter Perſona Patris. *L. Liberto. ff. De Obſequ. Patr. præſt.* Adeóut nihil contra Honeſtatem Naturalem, & Publicam Patri debitam agere, & facere debeat Filius Tám circa Mores Naturales, quám Ciuiles, in quibus Honeſtas eſt á Filijs præſtanda Patri, Itavt nulla Lis per Filios moueri debeat contra Patrem, Seu Eius Patriam Poteſtatem, Vt occaſione Emancipationis, Seu Solutionis Patriæ Poteſtatis, Quæ ab Inuito Patre extorqueri non debet, Nec poteſt, Vt poſſe extorqueri vult *Gloſſa notorié erronea.* In *L. 1. C. De Patr. Poteſt.* Vbi d. Gloſſa ſatís imperité ducendo Argumentum á Paritate Rationis *Textus, ſeu d. Legis primæ.* Dicit Filium habi-

Digitized by Google

tando ſeorſim á Patre per Decennium inter Præſentes, & Vicennium inter Abſentes poſſe præſcribere Patriam Poteſtatem, Et in hunc d. Gloſſæ Errorem Multi, inaduertenter Tamen, Irrepſere Doctores; Error veró d. Gloſſæ dignoſcitur ex eo in quo d. Lex prima Dicit. Quod ſi Pater permittit Filium ſuum habere Tutorem habetur pro Emancipato; Ratio veró Legis eſt, Quia Filius Non poteſt eſſe ſub Duplici Capite, ſeu Poteſtate ſcilicet ſub Capite ſeu Poteſtate Patris, & Tutoris ſimul; Dicta veró Gloſſa Erronée á Pari Concludere tentat, ſcilicet ſic Filium habitantem ſeorsím á Patre per Decennium inter Præſentes, & Vicennium



Digitized by Google

inter Abſentes cenſeri Emancipatum, Quod Argumentum Gloſſæ eſt Notorié valdé Erroneum, Ex quo non Implicat Filium poſſe ſeorsím á Patre habitare per dictum Temporis ſpatium, Sed Nihilominus in Patria Poteſtate eſſe retentum, Prout Implicaret, ſi Pater pateretur Filium ſuum habere Tutorem, Cum Filius non poſſit eſſe ſub Duplici Capite, & Poteſtate, vt Prædictum eſt. Prædictus Gloſſæ Error dignoſcitur etiam *ex L. Non nudo conſenſu C. De Emancipat. liberor.* Vbi non nudo Conſenſu, ſed Ipſo Ore Patris fit Emancipatio, Ergo d. Gloſſa Erronée Concludit. Dignoſcitur Itidem d. Gloſſæ Error *ex Nouell. Leonis Imperatoris 25. De Emanci-*

Digitized by Google

*pat*. Succeſſoris Imperatoris noſtri Iuſtiniani, In qua Nouella conqueritur Leo De Iuſtiniano ſuo Anteceſſore, Ex quo (Vt dicit) Iuſtinianus voluit Seruos Decennio inter Præſentes, & Vicennio inter Abſentes poſſe præſcribere Dominicam Poteſtatem contra Dominos, Noluit veró Filios familias, Licet Perſonas Digniores poſſe præſcribere Patriam Poteſtatem, Ex Qua Nouella Leonis videre eſt nuſquam fuiſſe Mentem Iuſtiniani, vt Filius poſſet præſcribere Patriam Poteſtatem contra d. Gloſſam Notorié Erroneam, Vt Ergo Filius Honeſté viuat, Nuſquam contra Patrem, ſeu Ipſius Patriam Poteſtatem ita leuiter Inſurgere debet, Niſi ex

Cauſis á Iure permiſſis, á quibus tamen abſtinere honeſtum eſt.

18 Tertió Honeſtas itidem requiritur in omnibus noſtris Moribus, Vt ne quid quod Nos commaculet flagitiosé agamus, Maximé circa Immoderatas Animi Paſſiones, ſcilicet Amoris illiciti, Gulæ ſeu Crapulæ, Ludi, Calumniæ, Auaritiæ, Infamis Vſuræ, & Similium, De quib. *in L. 1. ff. De His qui not. Infam.* Nam quoad Amoris Illiciti, Gulæ, ſeu Crapulæ Animi Paſſiones Temporis Lapſu languescunt, Cum ex Impetu Carnis, & Sanguinis procedant, Paſſiones veró Ludi, Calumniæ, Auaritiæ, Vſuræ, & Similium creſcunt in Senectute, Cum non Carni, ſeu Sanguini, ſed Animo, &

Cerebro Inhæreant, & alligentur; Vnde ſimilibus Vitijs Addicti quando ſeneſcunt in peius eunt, Niſi Diuino Gratiæ extraordinariæ Numine retineantur, & Liberentur, quod raró obtineatur.

Quartó Vt Honeſté ſemper viuamus nihil agere debemus, Quo Sermone, Geſtu, Habitu, & diſſolutis Moribus Turpes, & Infames efficiamur, & videamur, Vt Ex Crimine Furti, Falſi, Stellionatus, & Doli *L. Quid ergo §. Crimen. ff. De his qui not. Infam.* Et ſic bona Fama, & Ciuili Credito penes Grauiſſimos Viros cadamus, In Moribus enim noſtris nihil itidem fieri debet, quod Conſilium, Famam, Honorem, & intereſſe Pu-

blicum, & Priuatum offendat, Vt de Præuaricatoribus, & Calumniatoribus dicitur *in L. Athletas. §. Calumniator. & §. Item Præuaricator. ff. De his qui not. Infam.* Præuaricatio enim Maximum Vitium eſt, contra quod omnia Iura inſurgunt, & exclamant. *L. 1. ff. De Præuaricatorib. L. Præuaricatores. 212. ff. De Verb. Signif.* Præuaricatio veró proprié eſt in Aduocato; Fraus veró in Iudice. *L. 1. C. De Sentent. aduerſ. fiſc. latis. lib. 10. Iunct. Gloſſ. Et L. ſi Patronum Cauſa. C. De Aduocat. diuerſor. iudicior. & L. Præuaricationis. 3. in verb. Aduocato. ff. De Præuaricatorib. & Ita Cujac. Obſeruat. lib. 9. cap. vlt.*

Demum Vt Honeſté ſemper viuamus, Iuxta hoc primum Im-

peratoris Sacrum Præceptum, nihil agere, neque moliri, Neque Animo, & Mente perpendere Explicité, vel Implicité debemus contra hoc primum Præceptum, ſed quod noſtram deceat Honeſtatem, Ideó aliquando Licitum ab Honeſto ſeparatur. *L. ſemper 42. ff. De rit. Nuptiar. & L. Non omne. ff. De reg. Iur.* Adeóut quod Licitum Aliquando eſt, Honeſtum non eſt.

Primó ponit Vlpianus Caſum *in l. 1. §. Quædam enim. Iunct. Gloſ. ff. De Var. & extraordin. cognitionib.* Vbi quamuis licitum ſit Munera, ſeu Salaria petere, Nihilominus Honeſtum non eſt, Munera enim Honeſté recipiuntur, ſed Inhoneſté petuntur.



Digitized by Google

Secundó ponit etiam Vlpianus Caſum *in L. ſi qua mibi. §. Si Vxor. ff. De rit. Nuptiar.* Vbi ſi Páter duxerit in Vxorem Seiam, Et poſtea vel Impotentia Patris, vel alijs Legitimis de Cauſis Matrimonium fuerit diſſolutum, Itaut eo caſu Licitum ſit Filio Seiam in Vxorem ducere, Tamen Honeſtum non eſt, Quia eſt contra Honeſtatem publicam.

Tertió quamuis Matrimonia Filiorum familias ſine Conſenſu Parentum facta licita ſint, nec ſint Irrita Iuxta Concilium Trident. *In cap. Tametſi. Seſſ. 24. in Decreto De Reformat. Matrim.* Tamen ſunt contra Honeſtatem Naturalem, & Publicam Debitam Parentibus, Talia enim Matrimonia, ſemper

Eccleſia deteſtata eſt atque prohibuit, Ex Multis Sanctorum Canonibus, Nominatím veró *ex Canone Aliter Sancti Euaristi Papæ, & Martyris Glorioſi* 30. *q.* 5. Cuius Hæc ſunt Verba.

Aliter non ſit Legitimum Coniugium, Niſi á Parentibus tradatur. Audite quæſo (Iuris Studioſi) Aliter non ſit, Eſt Negatiua, Seu Cauſa Sine qua Non, Quæ Importat Neceſſitatem Conſenſus Patris, Audite Illud Verbum (Legitimum) quod etiam Inducit Neceſſitatem Conſenſus, vt dicatur Legitimum Coniugium, Audite Vltimó illa Verba, (Niſi á Parentibus Tradatur) quæ etiam Important cauſam ſine qua Non, Et Realem, & Veram Neceſſitatem

Conſenſus.

Ideó Licet Talia Matrimonia Filiorum familias ſine Conſenſu Parentum facta, & contracta Hodié teneant, nec ſint Irrita, & poſſint Dici Aliquo modo Licita, Cum non Ampliús requiratur de Neceſſitate Conſenſus Parentum, Tamen requiritur de Honeſtate, Quæ Honeſtas nedum operari debet Explorationem Conſenſus Patris Bis, Ter, Quater, Quinquies, & Vltra; Sed etiam Pater debet moneri & Audiri ab Ordinario, Vt Æqualitas quæ de Iure Naturæ requiritur in Omnibus. *L. In Omnibus. ff. De Reg. Jur. & L. 1. ff. Quod quiſque Juris.* Maximé veró in Matrimonijs obſeruetur. *Argum. Auth. Lucrum. & Auth.*

*Vxore. C. De Secund. Nupt. & Nouel. 97. Quoniam plurimas. §. Hoc igitur.*

Vtplurimum enim Filius familias Qui Deperit Iuuenili, Leui, Fallaci, & Cœco Amore Puellæ, Spreta Paritate, ſeu Æqualitate Conditionis, & Facultatum in Dedecus Familiarum tranſit ad Similia Matrimonia, Ex quibus vt plurimum Infelices Exitus inſurgunt, Ideó Licet talia Matrimonia facta, & contracta ſine Conſenſu Parentum Tanquam licita teneãt, Attamen Honeſta non ſunt, Quia Vltra quam quod Violatur Honeſtas Naturalis, & Publica debita Parentibus, Filius eo Caſu ex communi Canoniſtarum Sententia peccat Lethaliter.

Digitized by Google

Quartó Licitum eſt Filiæ familias poſt Viginti quinque Annos Nubere ſine Conſenſu Patris ob Negligentiam præſumptam Patris. *Iuxta Auth. Sed ſi poſt Viginti quinque Annos. C. De Inoffic. Teſtamen.* Nihilominus Honeſtum non eſt, Quia ſemper fit Iniuria Patri, ex Communi Doctorum calculo.

Quintó Licet Vxor non poſſit Regulariter Maritum de Adulterio accuſare. *L. 1. ff. Ad L. Iul. De Adulter. & Stupro*, Séd ex Capite Iniuriarum Licitum ſit Ipſi Maritum de Adulterio accuſare, *ex Bald. in d. L.* 1. Tamen Honeſtum non eſt, Cum Mariti Amore potiús, & Charitate duci debeant, quám Iuris rigore *ex d. Baldo in d. L.* 1. *in Addutionib.*

Sextó

Digitized by Google

Sextó quamuis Licitum ſit Filio familias petita Venia á Prætore Litem inſtituere contra Patrem in Caſibus á Gloſſa enumeratis *in L. Lis Nulla.ff. De Iudic.* Attamen Honeſtum non eſt Túm ob Reuerentiam naturalem, Cúm quia Regula eſt in Contrarium *ex d.L. Lis Nulla.*

Septimó Etſi Licitum ſit Fratri ex leui Crimine Accuſationem inſtituere contra Fratrem. *L.ſi Sororem.C.De His qui accuſar.non poſ.* Attamen Honeſtum non eſt. *Argum.leg.1.ff. eod.tit.*

Octauó Etſi Licitum ſit Iniuriam illatam Propulſare Tám ob Tutelam Propriæ Perſonæ. *ex L. Ut Vim.ff. De* Iuſt. *& Iur.* Quám ob Tutelam Alterius puta Filij,

vel Conſanguinei. *L. Et ſiquidem. §. fin. ff. De eo quod Met. cauſ. & ib. DD.* Tamen Honeſtum non eſt propulſare cum Exceſſu, Et hoc eſt quod vulgó dicitur, Propulſatio Debet eſſe cum Moderamine Inculpatæ Tutelæ. *Ex L. 1. C. Vnde vi.* Quod raró accidit vt Propulſatio commenſuretur Iniuriæ illatæ, Imó vtplurimum Verbis, & facto excedit, vt Dicunt *DD. in d. L. 1.* Quo Caſu punitur Exceſſus Non Pœna Ordinaria, ſed mitiús Extraordinaria *ex d. L. 1. & ib. DD.* Quia eo Caſu læditur Honeſtas, & Modeſtia Naturalis, & Publica, Ex quo Lex permittit Deffenſionem, Non etiam Vltionem; Honeſtas enim, ſeu Modeſtia (Ait Sapiens) eſt Habitus inter Defectum

Digitized by Google

ſui Depreſſionis, & Exceſſum nimiæ Elationis, ſeu Propulſationis Medius, per quam Pudor Honeſtatis, ſeu Modeſtiæ circa Sermones, & Mores Libra Iuſtitiæ examinatos claram, & ſtabilem omnium Perſonarum, & Rerum æqualibritatem, & Authoritatem comparat, Et hínc Sacris regimur Moribus, Et hínc Virtus Virtute ducitur, Et hínc Virtus Virtute regitur.

Tranſeo ad ſecundum Præceptum, Alterum non Lædere.

Hoc ſecundum Præceptum Animi Temperantia eſt, Vt Nec Deum, Nec Proximum in Perſonam, Nec in Rem Lædamus, Temperantia enim eſt Imperium Rationis in Omnes Deprauatos Na-



Digitized by Google

turæ Impetus.

Primó enim licitum non eſt Deum in Perſona Sacerdotum lædere, cuius ſunt Miniſtri. *c. Habet in fin. 2. q. 5.* Vbi ſunt honorandi Sacerdotes, quos Deos, & Angelos dicit Deus, & vti Deos, & Angelos Deus honorauit. *c. Sacerdotibus 11. q. 1.* Nec tantúm Sacerdotes, ſed etiam Clerici Sacris inſigniti ſunt honorandi, Et ideó nullomodó Lædendi. *ex vulgatiſſimo Canone ſiquis ſuadente.* 17. *q.* 4. Niſi ad deffenſam, Quo caſu Aggreſſus non incidit in Pœnam d. Canonis.

In Perſonam nullos etiam Cuiuſcumque Conditionis Iniurijs Realibus, & Verbalibus lædere licitum eſt. De quib. *Tot. tit. ff. De*

Digitized by Google

*Iniur. & Famoſ. libell.* Nec falſa Accuſatione. De qua *tot. tit. ff. Ad S. C. Turpill.* Nec Calumnia De qua *tot. tit. ff. De Calumniatorib.* Nec Violentia, De qua *tot. tit. ff. Ad* L. *Iul. de Vi Publ. & de Vi Priu,*

In Rem itidem Quemlibet lædere licitum non eſt, Vt furto. De quo *tot. tit ff. De furt.* Nec Rapina, Maximé per Vaſallos, ſeu Feudatarios contra Subditos, *DD. in L. ſi Vendidero. §. Cum Raptor. ff. De furt.* Nec Præuaricatione Aduocati Clientes lædant. De qua *tot. tit. ff. De Præuaricat.* Nec colluſione Litigantes Partes Aduerſas lædant. De qua *tot. tit. ff. De Colluſ. deteg.* Nec Concuſſione Magiſtratus Túm in Committendo, Maximé veró in Exceſſu Sportularum,

Cúm in Omittendo ob Neglectam Proceſſuum Viſitationem litigantes Lædant, Nec Officiales Ciuitatum, & Communitatum Noua Iura, Veriùs Extorſiones ſibi Captatorié acquirant, quæ Prætextu Conſuetudinis, & Poſſeſſionis, Veriùs Vſurpationis, continuari contendant; Et ita in magnam Læſionem Publici de Illicito tentant facere Licitum. De quib. *tot. tit. ff. de Concuſſionib.*

Nec vltimó Vſurarum Præda licet Aliquem Lædere, De qua *tot. tit. C. De Vſur. & Tot. tit. Extr. De Vſur.* Vſurarum veró Prædæ hodié vbi frequentiſſimæ, & Deprauato Vſu (Veriùs Abuſu) receptæ in Commercium quaſi Licitum transſeunt, & licet Vſura de Iure

Ciuili Dicatur Peſtis, & Inuaſio Barbarica, *Auth. Nullum credentem Agricolæ in Princ. Collat. 4.* Et de Iure Canonico Infamis Vorago, quæ Animas deuorat, & Facultates exhaurit. *c. Vſurarum voraginem. De Vſur. in 6.* Nihilominus quia, vt vulgó dicitur, ( Auri Sacra Fames ) *L. Si quemquam. C. De Epiſcop. & Cler.* Vſurarum Dulcedini Vtplurimum Homines Inhiant, & Incubant. *L. Ait Prætor. §. ſi quid in fraudem. In Verbb. Vſurarum Dulcedine. ff. De His quæ In fraud. Creditor.* Imó reperiuntur Aliqui Doctores A quibus ſub certis Societatis, ſed Leoninæ, & Lucri Ceſſantis, ſed Viperini, & Damni Emergentis, Sed Vulperini velamine, & Diſtinctionibus

Vſurarum Prædæ palliantur, & relaxantur. Sed quia coram Deo omnia nuda ſunt, & aperta, Stultum ſané eſt coram Deo vti Palliata Vſura, qua Homines ad æternas ducuntur Flammas, vt Colligitur *ex d. c. Vſurarum voraginem.* Vndè quandiu in hoc Vitæ noſtræ Ciuilis decurſu pugnamus, Mores Moribus Iubente Deo, & Natura veniunt Temperandi, Iuxta hoc ſecundum Imperatoris Præceptum, Quo á Damno Alteri Furto, Vſura, Violentia, & Rapina inferendo deterremur; Et Hinc Mores Moribus Temperantur.

Accedo ad Tertium, & vltimum Præceptum, Suum Cuique Tribuere.

Hoc Tertium Præceptum Nedum

Digitized by Google

dum duo priora Præcepta includit, Vt ſcilicet quod contra Honeſtatem conſequuti fuerimus, ſeu alterum læſerimus, Id omne reſtituamus, ſed etiam duo continet Capita, Primó ſcilicet Vt ſuum cuique tribuamus, Secundó Vt ſuum cuique reſtituamus, Vnde in Rei Alienæ Vſurpatione, ſeu Detentione facilis Deſcenſus Auerni, ſed in Reſtitutione reuocare Gradum hoc Opus hic Labor eſt.

Primó ergo Vt ſuum cuique tribuamus, Deo quod ſuum eſt tribuere debemus in Perſona Pauperum, qui in huiuſce vitæ conflictu Deum repræſentant, A quo omnia quæ habemus, & poſſidemus Iure Dominij ſurgunt,

effluunt, & deſcendunt, Ideó Domui ſuæ Paupertatem Deus dedicauit. *c. Gloria.12. q. 2.* Vnde Epiſcopi Gloria eſt pauperibus Prouidere & Tribuere. *c. Cauendum.10. q. vlt.* Imó Epiſcopus vt Chriſtum imitetur debet eſſe Pauper Victu, & Diues Meritis. *c. Epiſcopus. Diſt. 41.* Quia eſt Rerum Eccleſiæ Diſpenſator, Non Vſurpator. *c. Expedit.12. q. 1.* Imo Adeó Deus commendauit, & Paupertatem ita Dedicauit, Vt Mulctæ & Pœnæ Pecuniariæ quæ ex Delictis exiguntur per Epiſcopos, & Alios Superiores debeant Pauperibus applicari. *c. Dilectus. De Offic. Ordin. & ib. DD.*

Maxima ergó hodié Laus grata Deo, & Hominibus paucis

Exẽplis adæquanda Illuſtriſſimi & Reuerẽdiſſimi Domini Archiepiſcopi noſtri Inſignis Pietatis, & Eruditionis Gloria Commendatiſſimi, Et erga Pauperes nedum Volũtarios, Religioſos, & Moniales, ſed & erga Alios cuiuſcumque Conditionis Erubeſcentes, prout etiam erga Publicé Mendicantes ſumma Charitate Glorioſiſſimi, Vt Pauper Victu, ſed Meritis Inſigniſſimus prædicari poſſit.

Secundó Rectores, Beneficiarij, & Præbendarij, & Alij omnes qui Altari deſeruiunt, & inde Redditus & Prouentus percipiunt, Pio Eiuſdem Illuſtriſſimi & Reuerendiſſimi Archiepiſcopi noſtri Exemplo, Deducto Victu, & Veſtitu Reſiduum Deo in Perſo-



Digitized by Google

na Pauperum, Non Conſangui-
neorum tribuere tenentur, Suffi-
cit enim Pauperes Conſangui-
neos de Reſiduo Redditũum Mi-
ſeria Alimentorum liberare, Non
etiam Patrimonia, ſeu Hæredita-
tes ex Redditu Eccleſiæ Ipſis ac-
quirere, ſunt enim Redditũum
Eccleſiæ Vſuarij tantúm, Non
etiam Vſufructuarij. *DD. in d. c.
Expedit.* 12. *q.* 1. *&* *Gloſſ. in c. Quia
nos. De Teſtam.* habent enim in
Bonis, ſeu Redditibus Eccleſiæ
Victum tantúm, & Veſtitum. *c.
Clericus in fin.* 12 *q.* 1. Ideó tenentur,
& debent eſſe contenti Victu &
Veſtitu, & Reſiduum, id eſt ſu-
perfluum erogare Pauperibus. *c.
Vlt.* 12. *q.* 1. Beneficia enim ad
Opus Pietatis principaliter ſunt

Digitized by Google

inſtituta. *c.* De *Monachis.* De *Præbend.* & Dignit. Et ea Ratione Eleemoſyna eſt de Præcepto. *c. Sicut hi. Iunct. Gloſ.* Diſt. 47. Imó ſi augmententur Eccleſiæ Redditus, Augmentum debet conuerti ad Erectionem Aliarum Præbendarum, & Beneficiorum, Vt Beneficiarij ſuum Deo tribuant, á quo omnia huiuſce ſœculi Munera, Prouentus & Redditus profluunt & deſcendunt. *Panormit. In c. Cum M. Ferrarienſis.* De *Conſtitut. Iunct. Gloſ.* Ea etiam Potiſſimum Ratione, Quia Omnes Redditus Eccleſiaſtici á liberalibus Laïcorum Eleemoſynis Deo dicatis profecti ſunt, Et Ideó á Deo profecti, Et Ideó Peculia Profectitia. *ex d. Gloſ. & ib. DD.* Quæ ergó Inuidia

eſt vt quod á Deo profectum eſt ad Deum redeat, *Argum. §. Quod Nobis. Inſtitut. Per quas perſon. cuiq. acquir.*

Quoad veró Doctores in hac Materia circa Diſtributionem Redditiuum Eccleſiæ inter ſe ex Diametro Diſceptantes Me remitto Iudicio Sanctæ Matris Eccleſiæ; Mei Hodié Interim Muneris eſt, Cum Verſemur in Materia Scholaſtica ſequi dictos Sacros Canones ſuprá allegatos.

Tertió Ciuitates etiam tenentur ſuum Deo in Perſona Pauperum tribuere, Ciuitas enim ſine Pauperibus non eſt perfecta. *L. 2. ff. De Nundin. & ib. D.D.*

Quartó Omnes Tám Patrimonialibus, & Aduentitijs opibus

Auxiliante Cœlo Inſignes, Quàm Mercatores Diuites tenētur ſuum Deo in Perſona Pauperum tribuere, Imó compelli poſſunt. *c. Sicut ij. Iunct. Gloſ. Diſt. 47. & Gloſ. in c. Exigunt. 1. q. 7.* Pauper ením poteſt implorare Officium Iudicis ad compellendum Diuitem vt faciat Ipſi Eleemoſynam *ex d. c. Sicut. Iunct. Gloſ.* Ad quam Eleemoſynam cōpelli etiam poſſunt De Iure Ciuili. *Gloſ. in Verb. Tenuioribus. in Addit. Margin. Legis 1. ff. De Colleg. illic.*

Nec Tantúm Mercatores Diuites de Lucro Currenti ad Eleemoſynam compelli poſſunt, Imó De Inſignioribus, & Egregijs Summis curſu temporis lucratis In Negociatione, ſeu Artificio tenentur dare Decimam Deo in Perſona Pau-

perum. *Gloſ. in c. Ad Apoſtolica. in Verb. Perſonales.* & *c. Paſtoralis. Iunct. Gloſ. De Decim.* Et licet Aliqui non multúm Pié dicant Similes Decimas Perſonales ab Aula Iudiciaria receſſiſſe (Quod tamen non Creditur) Nihilominus non receſſerunt ab Aulâ Diuinâ, Et Pauperibus Panem, ſeu Eleemoſynam denegare, eſt denegare & tollere Panem Chriſto, & ſibi Portam Cœli claudere ex ſupradictis Sanctorum Patrum Canonibus.

Nec Abs re Mercatores Diuites tenentur Eleemoſynam, ſeu Decimas Pauperibus tribuere, Cum vtplurimum in Venditione Mercium Lingua Mendacij Theſauros ſuos congregarunt, Onuſtus enim pondere Auri, Maximé

Illiciti

Digitized by Google

Illiciti Chriſtum ſequi non poteſt, c. *Multi Sacerdotes. Diſt.* 40. Vnde Reſtitutionem Illicité exactorum expeditius eſt facere Pauperibus, quám Perſonis vt plurimum Incertis. c. *Cum Tu. De Vſur. & ib. DD.*

Nec ſolum Deo in Perſona Pauperum, ſed Omnibus Alijs quibus aliquid vel Titulo Empti, Conducti, Donati, Hæreditatis, Legati, Fideicommiſſi, Hypothecæ, Compenſationis, Societatis, Tutelæ, & Adminiſtrationis, vel quolibet alio Titulo debemus, abſque Interpellatione Litis, & Iudicij, ſola Iuſtitia, & Virtute Morali ſuadente ſuum Tribuere præcipimur.

Sed Nedum hoc vltimo Præ-



Digitized by Google

cepto ſuum Cuique tribuere moremur, ſed etiám quodcumque Iniuſto Titulo, & Occupatione, ſeu Detentione poſſidemus Reſtituere compellimur, Spreta in Contrarium Auida & Voraci Auaritia, quæ Reſtitutioni aduerſatur, & Reſtitutionis Renitentiam Operatur, Vnde Auaritia maximum Vitium eſt, Imó Mater omnium Malorum. *Nouell. 8. Vt Iudic. ſine quoq. ſuffrag. ſi. §. Quapropter. circa fin.* Oeconomia veró, & Parcimonia (Quæ falsó ab Imperitis Auaritiæ nomine induuntur) ſunt Augmento, & Familiarum Incremento nedum vtilia, ſed & Neceſſaria, Subſtantia ením per Auidam, & Voracem Auaritiam feſtinata mi-

Digitized by Google

nuetur, Quæ autem Lucro licito, & Oeconomia, ſeu Parcimonia paulatím colligitur manu Multiplicabitur. *Deuteron.* 11.

Tutores Itidem, & piorum Locorum, & Collegiorum Adminiſtratores Qui Vti Tutores ſeu Tuitores habentur, (Vtinam non ſint Tollitores) Reſiduum RedditDuum tenentur in Augmentum Patrimonij Piorum Locorum, & Collegiorum conuertere, non etiam Muneribus, aut alijs Medijs Illicitis abſumere, Vt ſuum Pio Loco, & Collegio; Imó & Deo tribuant Iuxta Fundatorum Intentionem, *vt ait Panormit. in d.c. Cum M.Ferrarienſis. De Conſtitut. Junct. Gloſ.*

Ideó his Tribus Præceptis, ſeu

Virtutibus Moralibus, Honeſté viuere, Alterum non lædere, ſuum cuique tribuere, Quibus tota noſtra Vita Ciuilis Modeſtia, Temperantia, & Iuſtitia ſociatur, Quatuor veniunt perpendenda, ſcilicet Ne licita Medio Illicito quæramus, Aut Iniuſté Acquiſitis, ſeu Poſſeſſis Illicité perfruamur, Nec Bona, ſeu Lucra quamuis Licité Quæſita Nimis Tamen Auidé poſſideamus, Nec licita Illicité deffendamus, Malé enim acquirere, aut malé vti Acquiſitis De Licito fit Illicitum; Et hínc Sacris regimur Moribus, Et hínc Virtus Virtute ducitur, Et hínc Virtus Virtute regitur, Et hínc Mores Moribus temperantur, Et hínc Virtus Virtute ſuperatur.

FIN.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

L. GOTTSCHER - 1971

Digitized by Google

Digitized by Google